

Melanchthon

Sententiae sanctae

patrum de coena

domini.

Vg

3538

XVII, 310.

292
SENTENTIAE
SANCTORVM
PATRVM, DE COENA
Domini, bona fide recitatae
& editae VVittebergæ,

A
PHILIPPO MELANCHTHONE
ANNO M. D. XXX.

QVIBVS ADDITA
Epistola PHILIPPI ME-
LANCHTHONIS,

&
IOANNIS BRENTII
eodem anno scripta.



25

87

VVITEBERGAE
Matthæus VVelack excudebat.


XVII, 310.



LECTORI S.




VM ex autoritate & iudicio Do-
mini Philippi Melanchthonis de
sententia Augustanae Confessio-
nis pronuntiandum esse, multi
rbitrentur, has ab ipso collectas
sententias & illo ipso anno trigesimo quo
Augustana Confessio est exhibita & conscripta,
editas, tibi Lector communicare volumus, quò
rectius & plenius, cum & authoris ipsius &
Confessionis mentem assequi, tum de præsen-
tibus controuersis iudicare possis.



PHILIPPVS ME-
LANCHTHON FRIDE-
RICO MYCONIO,
S. D.



Mitto tibi locos veterum
scriptorum de Cœna Do-
mini, vt promisi, qui testan-
tur *illos idem sensisse, quod*
nos sentimus, videlicet, corpus & san-
guinem Domini verè adesse in cœna
Dominica. Quanquam autem fides
non pendeat ab humana authoritate,
sed à verbo DEI: tamen cùm Scriptu-
ra imbecilles à fortioribus confirmari
velit, iuuat habere Ecclesiæ testimonia
in omni genere tentationum. Vt enim
vivos libenter consulimus, quos iudicamus
vsum aliquem habere spiritualis-
um rerum: ita & veteres, quorum scri-
pta probantur, censeo consulendos esse.
Sunt et aliæ causæ, cur veterum testimo-
nia non contemnam: existimo enim hoc
A a communi,



Do-
is de
sio-
multi
ctas
quo
pta,
quo
&
en-

M

communiter sensisse Ecclesiam, quod isti scripserunt.

Nec verò tutum est à communi sententia veteris Ecclesiae discedere. Quibusdam valdè habetes videmur, quòd in verbis Euangelij, *Hoc est corpus meum*, non videamus metaphora, nec intelligamus nos ab infinitis quaestionibus vnius metaphoræ beneficio liberari. Videtur insania esse, sententiam omniū longè absurdissimam mordicè tenere, cum aliam commodissimā offerat metaphora.

Hi desiderabunt in me iudicium hinc etiam, quòd in his testimonijs hyperbolas & allegorias non deprehenderit. Ego verò non ignoro hæc σοφὰ φάρμακα vt Poëta vocat, quibus medicantur has sententias alij. Verùm quid non poterit eludi hac arte, si licebit allegorias comminisci nostro arbitrio? Quidam enim *callidi homines* otam religionis doctrinam hoc modo transformârunt in Philosophiam. Ego has sententias authorum

rum

rum sine glossematibus nudas proposui, ut iudicium candido Lectori relinquerem, vtrum de corporali praesentia loquantur, an de sola efficacia. *Ego quidem statuo eas sententias asseuerare, quod corpus Domini verè assit in caena Dominica.*

Nonnulli sine delectu maximum numerum testimoniorum congesserunt, in quibus pleraque sunt ambigua & obscura. Nos tantum ea recitauimus, quae videbantur esse quam maxime perspicua. Origenes ludit suo more allegoribus, nec quicquam ex eo certi potest colligi. Apud Hieronymum extant loci quidam, qui ut non magnopere muniant nostram sententiam, tamen aduersariis nihil patrocinantur. Apud Nazianzenum nullam satis claram sententiam reperi. Ex Basilio citat Gratianus locum quendam, qui certe non aduersatur nostrae sententiae. Damascenum non ascripti, qui nostram sententiam copiose defendit. Et quamquam non admodum vetus scriptor est

A

3

se videat

4 P R A E F A T I O.

se videatur, tamen opinor eum scripsisse se hoc, quod diu iam senserat publicè Græca Ecclesia. Bessarion multorum authorum nomina recenset, quem oportarim potius integras eorum sententias posuisse, præsertim cum de re tanta iustam disputationem instituisset, & in ijs locis versaretur, ubi locupletissimæ Bibliothecæ fuerunt, & ita abundaret otio, ut tam magnum librum & plenas ἀμέγαστος λέγων ad uersus Trapezontium scripsisset.

Quædam ex Augustino Gratianus in tempestiuè detorsit ad cœnam Domini, quæ citantur contra nos, & multos uehementer exercent. Sed illum locum propiùs inspectum comperiemus nihil ad rem facere. Duos locos ad summum nec ampliùs proferunt isti, qui à nobis dissentiunt, ex scriptoribus veteribus, ad sententiam suam affirmandam. Ego nouum dogma, quod maximam ruinã rerum maximarum secum trahit, sine firmioribus testimonijs non uelim profiteri.

PRAEFATIO.

steri. Graue est enim sustinere conscien-
tiam excitate tantæ discordiæ. Carolo
Stadius primùm excitauit hunc tumul-
tum, homo ferus, sine ingenio, sine do-
ctrina, sine consensu communi, quem
nullum vnquam humanitatis officium
aut intelligere, aut facere, animaduerti-
mus: tantùm abest, vt in eo significa-
tio aliqua Spiritus sancti animaduersa
sit, imò, extant manifesta signa impie-
tatis. In tota doctrina solebat $\iota\omicron\upsilon\varsigma\ \alpha\iota\zeta\epsilon\upsilon$
 $\eta\omicron\upsilon\varsigma\ \sigma\alpha\sigma\iota\acute{\alpha}\zeta\epsilon\upsilon$, damnabat omnes leges ab
Ethnicis conditas, contendebat in foro
ius ex Moyse dicendum esse, non intela-
ligens vim & naturam Christianæ libera-
tatis, totam illam fanaticam Anabaptis-
tarum doctrinam statim initiò $\tau\acute{\alpha}\iota\upsilon\ \alpha\mu\phi\omicron\iota\upsilon$
 $\phi\omicron\iota\upsilon$ amplectebatur, cùm cœpisset eam
in Germania serere Nicolaus Storck,
& controuersiam de cœna Domini, tan-
tùm odio Lutheri, non aliqua pietatis
opinionemouit. Etenim cùm $\epsilon\iota\mu\omicron\nu\omicron\mu\alpha\chi\iota\alpha$
ipsius à Luthero improbata esset, cœ-

pit iste inflammatus immani cupiditate
 vindictæ quærerere causam vendibilem,
 qua Lutheri existimationem prorsus ob-
 rueret. Bona pars Germaniæ testari
 posset, nihil me in hac re fingere. Quam-
 quam, si testibus opus sit, libelli ipsius
 aduersus authorem dicent certissimum
 testimonium. In his apparet hominem
 ne ratione quidem aliqua in specie pro-
 babili motum esse adscribendū. Quam
 suauiter nugatur de demonstratione
 vocis τῶτο. Quod affert ad causam tan-
 tam Ecclesiæ veteris, aut vllius magni
 authoris testimonium? Quæ vox est in
 tota disputatione, in qua sit aliqua pieta-
 tis significatio? Tantum vociferatur, vt
 nunc solent homines εἰς ἄλλοις inter pos-
 cula, qui nullis fabulis, nisi maximè pro-
 phanis delectantur, Ad hæc magnam
 librorum partem consumit in conuitijs,
 & homo insulsus studet etiam Vrbanit-
 atis laudem auferre.

Qui tam imparatus ad tantam cau-
 sam



tam accedit, is ostendit se aliqua cæca
 cupiditate præcipitem ferri, non moues
 ri ratione, aut studio pietatis. *Atque*
hic est huius fabula πρωταγωγις. Nam
 poëta alius quispiam est, qui nulli cedit
 hanc laudem inuenti dogmatis. Verùm
 hæc te Caroloftadio scripsi propter vi-
 cinos nostros, vt si quid authoritatis est
 in nostro testimonio, admoniti caueant
 ab isto portento. Miras enim artes
 tenet, & mirè fucata officia, quibus se
 insinuat in hominum animos, tametsi
 naturam dissimulare non diu potest.
 Habet ingenium vehemens & inquietum,
 quare ambitionem, iracundiam cito
 prodit. Inspexi & Vvinglephum, qui
 valdè tumultuatur in hac controuerfia,
 sed deprehendi in eo multa alia errata,
 ex quibus iudicium de Spiritu eius fieri
 potest, prorsus nec intellexit, nec tenuit
 it, fidei iustitiam. Ineptè confundit Euan-
 gelium & Politica, nec videt, Euangeli-
 um nobis concedere, vt legitimis omnia
 um gentium politijs vtamur, contendit
 presbyteris non licere, vt possideant

A 5 quica

quicquam proprium, decimas nullis
 vult solui, nisi docentibus, quasi verò
 Euangelium vetet vti politicis ordinati-
 onibus. De Domino ciuili sophisticè &
 planè seditiosè rixatur. *Ad eundem mo-
 dum de cœna Domini sophisticè cauil-
 latur publicè receptam sententiam.* Ap-
 paret hanc causam & in veteribus Sys-
 nodis agitatum esse. Nam in decretis
 citatur fragmentum Symboli Ephesini
 non aspernandum. Utinam verò isti,
 qui authoritatem Canonum defendunt,
 haberent veteres canones de dogmati-
 bus. Nunc enim fere nullos habent, ni-
 si nuper natos, de regno, de dignitati-
 bus, & similibus rebus nihil ad Ecclesi-
 am pertinentibus. Ego veterum Syno-
 dorum authoritatem libenter sequor, &
 quantum existimare possum ex his mo-
 numentis, quæ alicubi in historijs repe-
 riuntur, video eos prudentissimè &
 sanctissimè iudicasse. Nam Synodus Ni-
 cœna Euangelium Ioannis mirabili dili-
 gentia introspectit, & Gangrensis Syno-
 dus præclare intellexit vim & naturam
 Christi

Christianæ libertatis, quæ contra fanatics quosdam homines, Pepusianos capinor, similes Anabaptistis nostri temporis, de usu politicarum ordinationū decreta plena pietatis condidit, sed nihil opus est omnes Synodos recensere. Meo quidem iudicio magna est temeritas, dogmata ferere, non consulta Ecclesiæ veteri. Itaque collegi hos locos de cœna

Domini, ut in promptu haberemus

testimonia veterum, in quibus as-

firmatur, verè adesse corpus

Christi in cœna Dominica.

Vale.



CYRILLVS IN CAP.
XV. IOANNIS, VBI TRA

Etantur hæc verba : Ego sum vitis
vera, &c.

Non tamen negamus, recta nos
fide caritateque sincera Chris-
to spiritualiter coniungi. Sed
nullam nobis coniunctionis ra-
tionem secundum carnem cum illo esse,
id profectò pernegamus, idque à diuinis
Scripturis omninò alienum dicimus.
Quis enim dubitauit Christum etiam
sic vitem esse, nos verò palmites, qui
vitam inde nobis acquirimus : Audi
Paulum dicentem, quia omnes vnum
corpus sumus in Christo, quia etsi mul-
ti sumus, vnum tamen in eo sumus, om-
nes enim vno pane participamus. An
fortassis putat ignotam nobis mysticæ
benedictionis virtutem esse? Quæ cum
in nobis fiat, nonne Corporaliter quo-
que facit communicatione carnis Chris-
ti, Christum in nobis habitare? Cur.n.
membra fidelium membra Christi sunt?
nescitis

CYRILLVS IN CAP. 11

nescitis, inquit, quia membra vestra
membra sunt Christi? Membra igitur
Christi, meretricis faciam membra? Ab-
sit. Saluator etiam: qui manducat car-
nem meam, ait, & bibit sanguinem me-
um, in me manet & ego in eo. Vnde
considerandum est, non habitudine so-
lum quæ per caritatem intelligitur,
Christum in nobis esse, verum etiam &
participatione naturali. Nam quemad-
modum si quis igne liquefactam ceram,
alij ceræ similiter liquefactæ ita miscue-
rit, vt vnum quid ex vtrisque factum vi-
deatur: sic communicatione corpo-
ris & sanguinis Christi ipse in nobis est,
& nos in ipso. Non poterat enim aliter
corruptibilis hæc natura corporis ad in-
corruptibilitatem & vitam tra-

duci, nisi naturalis vitæ

corpus ei coniun-

geretur.

CY:

82 SENTENTIA CYRILLI.
CYRILLVS IN CAP.
SEXTO IOANNIS,

ubi reprehenduntur Iudæi, quòd offen-
si essent sermone Christi de man-
dicatione car-
nis.



NAM cum oporteret eos,
qui diuinam virtutem
Saluatoris ac potestatē
signorum miraculo per-
ceperunt, sermonem es-
ius libenter suscipere, &
si qua difficilia videbantur, eorum solus-
tionem quærere: contra omnia faciunt:
Et quomodo potest hic carnem suam
nobis dare? de DEO, non sine magna
impietate, conclamant, nec in mentem
venit, nihil esse impossibile apud DE-
VM. Nam cum animales essent, vt ait
Paulus, spiritualia intelligere non pote-
rant. Sed fatuitas quædam tam magnū
sibi videtur mysterium. Sed nos magnū
quæso à peccatis aliorum profectum fas-
ciamus, & firmam fidem mysterijs ad-
hibentes, nunquam in tam sublimib. re-
bus,

SENTENTIA CYRILLI. 12

bus, illud quomodo, aut cogitemus aut
proferamus. Iudaicum enim hoc verbū
est, & supplicij extrema causa. Ideò Ni-
codemus etiam cūm diceret, quomodo
hæc fieri possunt? Meritò audiuit. Tu
es Magister in Israël, & hæc ignoras?
Aliorum igitur, vt diximus, culpa per-
docti, cūm DEVS operatur, non quæ-
ramus quomodo, sed operis sui viam
atq; scientiam illi soli concedamus. Nam
quemadmodum (quamuis nullus no-
uit, quidnam secundū naturam DEUS
sit) iustificatur tamen per fidem, cūm
credat præmia illum redditurum, quæ-
rentibus eum: sic etsi operum eius ratio-
nem ignoras, cūm tamen fide omnia il-
lum posse non dubitet, non contem-
nenda probitatis huius præmia conse-
quetur. Ita profectò nos affici per Pro-
phetam Iesaiam, Dominus ipse hortat-
ur: Non enim sunt consilia mea, in-
quit, vt consilia vestra, nec sicut viæ ve-
stræ, viæ meæ sunt, dicit Dominus: sed
sicut exaltatur cœlum à terra, sic exalta-
tæ sunt viæ meæ à vjjs vestris, & cogi-
tationes

14 S E N T E N T I A C Y R I L L I

rationes meæ à cogitationibus vestris.
Qui autem sapientia & virtute adeò ex-
cellit, quomodo non operabitur ita mi-
raculosè, vt operum suorum ratio men-
tem nostram effugiat? Nonne vides
quid sæpenumero Mechanici faciunt?
Incredibilia videntur nobis nonnun-
quam enarrare, sed tamen quia similia
iplos fecisse vidimus, posse peragi ab
ipsis facile credimus. Quomodo igitur
summis cruciatibus digni non erunt,
qui rerum omnium opificem D E V M
ita contemnunt, vt, quomodo, in operi-
bus suis dicere audeant? Quem totius
sapientiæ largitorem esse non ignorant,
quem omnia posse Scriptura nos do-
cuit. Si verò tu, ó Iudæe, quomodo eti-
am nunc clamas, hanc tuam imperitiam
ego quoque secutus, libenter quomo-
do ex Ægypto exiisti rogabo? quo-
modo in serpente Mosaica fuit virga
conuersa? quomodo lepra manus affe-
cta, uno momento temporis in pristi-
num statum restituta iterum fuit? quo-
modo in naturam sanguinis aquæ tran-
sierunt?

SENTENTIA CYRILLI. 15

lierunt: quomodo patres tui per media
María vt per aridam effugerunt? quo-
modo per lignum amaritudo aquarum
in dulcedinem recidit, quomodo e
lapide fontes aquarum fluebant?
Quomodo stetit Iordanis? Quo-
modo solo clamore inexpugnabilis Ier-
icho cecidit? Innumerabilia sunt, in qui-
bus si, quomodo, quæris, vniuersam
euertere tibi Scripturam necesse erit,
Prophetarum doctrinam & ipsius Mo-
ysi scripta contemneris. Quare credidisse
se Christo potius vos oportuit, & si
quid arduum videbatur, ab eo humiliter
petere, quàm veluti temulentos excla-
mare, quomodo potest hic nobis suam
carnem dare? Nonne videtis, quia cum
hæc dicatis, statim cum ista voce, arro-
gantia magna significatur?

ET DEINDE.

A Men amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c. Misericors certè ac

B mitis

18 SENTENTIA CYRILLI.

mitis Christus est, ut à rebus ipsis videre licet. Non enim asperè ad crudelitatem eorum responderet, nec villo modo contendit: sed viuificantem huius mysterij cognitionem iterum atque iterum in mentibus eorum imprimere studet, & quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non potuerunt. Quàm magna verò bona, si cum fide manducabunt, adipiscentur, id iterum atque iterum aperit, ut æternæ desiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam doceri facilius potuerunt. Sic enim Esaias dixit, Si enim, inquit, non credideritis, nec intelligetis. Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda sunt. Illi verò, antequam crederent, importunè quærebant. Hac igitur de causa Dominus, Quomodo id fieri possit, non enodauit, sed fide id quærendum hortatur, sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum.

SENTENTIA CYRILLI 17

meum. Calicem etiam similiter circūtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Perspicis, quia sine fide quærentibus mysterij modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentibus exposuit: Audiant hæc, qui ex arrogantia nondum Christi fidem suscipere volunt: nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim possunt cum sanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem IESVM non susceperunt. Vita enim secundum naturam ille est, qui ex viuo patre genitus est: sed non minus corpus quoque suum viuificat. Coniunctum enim inefasabiliter est filio DEI, à quo vniuersa viuificantur. Iccirco corpus suum dicitur, & vnus cū eo est. Nēpe post incarnationē vnus est, et vnus manet absque diuisione vlla, præterquam quòd DEI patris Verbum, & templum à virgine sumptum, idem natura non sunt.

B 2 Non

SENTENTIA CYRILLI:

Non enim est eiusdem substantiæ Verbo DEI homo assumptus, vnus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo DEI, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis, non solummodo verbo atque imperio, vt DEVS vtebatur: verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat vt re ipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse, atque fideles doceret, suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ principis filiulam suscitabat, manum eius apprehendit, vt scribitur, & erexit dicens, Puella surge, ita ut DEVS & verbo & carnis suæ tactu eam excitauit. vnã ab vno se Christo, DEO videlicet atque homine, operationem producens. Quando etiam in ciuitatem Naim vocatam ingrediebatur, & efferebatur vni

SENTENTIA CYRILLI. 19

Vnigenitus matris filius iam mortuus,
tetigit corpus eius, dicens, Adolescens
dico tibi surge. Non ergo verbo solum
semper, vt diximus, verumetiam tactu
mortuos excitabat, vt ostenderet cor-
pus quoque suum viuificare posse.
Quòd si solo tactu suo corrupta redin-
tegrantur, quomodo non viuemus,
Qui carnem illam & gustamus & man-
ducamus? Reformabit enim omninò
ad immortalitatem suam participes sui.
Nec velis Iudaice, quomodo quærere,
sed recordari, quamuis naturaliter aqua
frigidior sit, aduentu tamen ignis frigi-
ditatis suæ oblita, æstuat. Hoc sanè mo-
do etiam nos, quamuis propter natu-
ram carnis corruptibiles simus, partici-
patione tamen vitæ, ab imbecillitate
nostra reuocati, ad proprietatem illius
ad vitam reformamur.

Oportuit enim certè, vt non solum
anima per Spiritum sanctum in beatam
vitam descenderet, verumetiam vt rude
atque terrestre corpus hoc cognato sibi
gustu, tactu, & cibo ad immortalitatem
reduceretur.

B 3

CHRY.

105
IN SENTENTIA CHRYSOSTOMI.
CHRYSOSTOMVS IN
CAP. VI. IOANNIS,
Homilia LXV.

QVando enim subit quaestio,
quomodo aliquid fiat, simul sub-
bit incredulitas. Ita & Nico-
demus perturbatus est, inquiring: Quo-
modo potest homo in ventrem matris
suae iterato introire? Itidem & hi nunc.
Quomodo potest, hic nobis carnem su-
am dare ad manducandum? Nam si
hoc inquiris, cur non idem in quinque
panum miraculo dixisti? Quomodo eos
in tantum auxit? Quia tunc tantum sa-
turari curabant, non considerare mira-
culum. Sed res ipsa tunc docuit, inquit.
Ergo ex eo & haec credere oportuit ei
facilia factu esse. Propterea id prius
fecit miraculum, ut per illud non essent
amplius increduli his, quae postmodo
diceret. Illi quidem tunc temporis nihil
ex his dictis, nos in eius beneficii utilita-
tem cepimus.

Quare

SENTENTIA CHRYSOSTOMI. 21

Quare necessario dicendum, quæ
admiranda mysteria, & cur data sint,
& quæ nam eorum utilitas. Vnum
corpus sumus, & membra ex carne &
ossibus eius. Quare initiati eius præ
ceptis parere debent. Vt autem non
solum per dilectionem, sed REIPSA
in illam carnem conuertamur, per
cibum id efficitur, quem nobis lar
gitus est. Cùm enim suum in nos
amorem indicare vellet, per corpus
uum se nobis commiscuit, & in vnum
nobiscum redegit, vt corpus
cum capite vniretur. Hoc
enim amantium max
imè est.

CHRY.

22 SENTENTIA CHRYSOSTOMI.
CHRYSOSTOMVS IN
CAP. XVI. MATTHÆI
Homilia. LXXXIII.

Vigilandum igitur est, non enim
paruum supplicium indignè
communicantes expectat. Co-
gita quanta indignatione aduersus pro-
ditorem, aduersus eos, qui crucifixerunt
ipsum, mouearis: & caue ne tu quoque
corporis & sanguinis Christi reus effi-
ciaris. Illi acerbissimè trucidarunt, tu
post tot tantàque beneficia, sordida sus-
cipis omnia. Non enim sufficit ipsi ho-
minem fieri, flagellis interim cædi, sed
nos secum in vnam, vt ita dicam, massã
reducit, neque id fide solùm, sed *Reipsa*
nos corpus suum efficit. Qua igitur re-
mundiorem esse non oportet eum, qui
hoc sacrificio participaturus est? Quos
radios solares non deberet excedere
manus illa, quæ hanc coronam pertra-
ctat: os quod igne impletur spirituali,
lingua quæ cruentatur hoc admirabili
sanguine? Veniat in mentem tibi, quo-
lis

SENTENTIA CHRYSOSTOMI. 25

sis honore honoratus, qua mensa fru-
 aris. Ea namque re nos alimur, quam
 Angeli videntes tremunt, nec absque
 pauore, propter fulgorem, qui inde re-
 silit, aspicere possunt, & nos in vnam
 cum illo massam reducimur, Christi
 corpus vnum, & caro vna. Quis loque-
 tur potentias Domini? Auditas faciet
 omnes laudes eius? Quis pastor vnquam
 membris suis oues suas nutriuit? Mul-
 tæ matres post partum, alijs nutricibus
 infantes dederunt, quod ipse facere no-
 luit, sed proprio corpore nos alit, & sibi
 coniungit atq; conglutinat. Considera-
 mus autem, inquires, licet apertè ad o-
 mnes pertineat. Nam si ad naturam no-
 stram descendit, patet quoniam ad õnes:
 quod si ad omnes, & ad vnumquemq;
 profectò. Sed cur non omnes inde Iu-
 crum consecuti sunt, inquires? Id certè
 non illius causa, qui maximè hoc optat,
 accidit: sed eorum culpa, qui eum suscipi-
 pere nolunt. Singulis enim fidelibus
 per hoc mysterium se coniungit, &
 quos peperit, non alijs nutriendos tra-
 dit,

B 5 dit,

24 SENTEN. CHRYSOSTOMI.
dit, sed ipse studiosissimè alit. Hac eti-
am re tibi persuadens carnem illam tu-
am assumpsisse. Tanta igitur charitate,
atque honore affecti non torpeamus.
Non videtis, quanta infantes animi as-
sacritate mamillas arripiunt? Qua pres-
sione papillis infigunt labia? Non mi-
nore cupiditate nos quoque ad hanc
mensam & ad huius calicis spiritualem
accedamus papillam, imò maiori desi-
derio quasi lactantes pueri gratiam Spi-
ritus sugamus, vnus sit nobis dolor
vna moestitia, si hoc alimento Spirituali
priuamur. Non sunt humanae virtu-
tis hæc opera, quæ tunc in illa cena
confecit, ipse nunc quoque operatur,
ipse perficit, ministrorum nos ordinem
tenemus: qui verò hæc sanctificat &
transmutat, ipse est.

CHRYSOSTOMVS DE
DIGNITATE SA-

cerdotum.

nrj

SENTENTIA CHRISOSTOMI. 25

Ὁ τῶν θαύματων, ὃ τῆς τῆς θεῆς φιλανθρωπίας,
 ὁ μετὰ πατρὸς ἀνωκαθήμενος κατὰ τῶν
 ὠραν ἐκείνων ταῖς ἀπάντων κατέχεται χερσὶ
 καὶ δίδωσιν αὐτὸν τοῖς βυλομένοις περιπέ-
 ξασθαι καὶ παραλαβεῖν. O ingens miracu-
 lum, ô magnam DEI benevolentiam
 erga nos, is qui fedet suprâ cum Patre,
 illa hora omnium manibus detinetur,
 & dat se volentibus circumdare & cō-
 plecti.

V V L G A R I V S I N
 M A T T H.

Οὐ γὰρ εἶπε, τὸτό ἐστὶ σύμβολον, ἀλλὰ τὸ
 μὲν ὅτι τὸ σῶμα, δεικτικῶς, ἵνα μὴ νομίσῃ
 τίς τύπον εἶναι τὰ φαινόμενα. Id est, Non. n.
 dixit, hoc est Symbolum, sed hoc est
 corpus meum, demonstratiuè, ne quis
 putaret, ea, quæ cernuntur, typum esse.

V V L G A R I V S I N
 M A R C V M.

Cum benedixisset, hoc est, gratias
 egisset, fregit panem, id quod etiam
 am nos.

am nos facimus, preces adiungendo:
 Hoc est corpus meum, hoc inquam,
 quod sumitis. Non enim figura tantum
 & exemplar quoddam Domini cor-
 poris panis est, sed in illum conuertitur
 corpus Christi. Dominus enim dicit,
 Panis, quem ego dabo, caro mea est, nō
 dixit: Figura est carnis meæ, sed caro
 mea est. Et iterum, nisi ederitis carnem
 filiī hominis. Et quomodo, inquis, caro
 non videtur? O homo propter nostram
 infirmitatem istud fit: Quia enim panis
 quidem & vinum ex his sunt, quæ as-
 sueuimus, ea non abhorremus: sangui-
 nem verò propositum & carnem viden-
 tes, nō ferremus sed adhorrerem. Idcirco
 misericors DEVS, nostræ infirmi-
 tati condescendens, speciem quidem
 panis & vini seruat, in virtutem autem
 carnis & sanguinis transelementat.

HILARIUS LIBRO
 VIII. DE TRINI-

tate.

SI

SI verè igitur carnem corporis
 nostri Christus assumpsit, &
 verè homo ille, qui ex Maria
 natus fuit, Christus est, nosque verè sub
 mysterio carnis corporis sui sumimus
 & per hoc vnum erimus, quia pater in
 eo est, & ille in nobis, quomodo volun-
 tatis vnitas asseritur, cum naturalis per
 Sacramentum proprietas, perfectæ Sa-
 cramentum sit vnitatis? Non est huma-
 no aut seculi sensu in rebus **DEI** lo-
 quendum, neque per violentam atque
 impudentem prædicationem cœlestium
 dictorum sanitati, alienæ atque impiæ
 intelligentiæ extorquenda peruersitas
 est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ
 legerimus intelligamus, & tunc perfec-
 tæ fidei officio fungemur. De naturali
 enim in nobis Christi veritate quæ di-
 cimus, nisi ab eo discimus, stultè atque
 impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea
 verè est esca, & sanguis meus verè est
 potus. Qui edit carnem meam, & bibit
 sanguinem meum, in me manet, & ego
 in eo. De veritate sanguinis & carnis
 non

non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, verè caro est, et verè sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè his verum nō esse, qui CHRISTVM IESVM verum esse DEVM negant. Est ergò in nobis ipse per carnem, & sumus in eo dum secum hoc, quòd sumus nos, in DEO est. Quod autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis sumus, ipse testatur, dicens: Et hinc mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam & ego viuo, & vos viuetis, quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntas tantum vnitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem consummandæ vnitatis exposuit, nisi vt, cum ille in patre per naturam diuinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crede-

crederetur, ac sic perfecta per mediato-
rem vnitas doceretur, cum nobis in se
permanentibus ipse maneret in patre,
& in patre manens ipse maneret in no-
bis, & ita ad vnitatem patris proficere-
mus, cum qui in eo naturaliter secun-
dum natiuitatem æternam inest, nos
quoque in eo naturaliter inessemus, ip-
so in nobis naturaliter permanente.
Quod autem naturaliter in nobis hæc
vnitas sit, ipse ita testatus est, qui edit
carnem meam, & bibit sanguinem me-
um, in me manet, & ego in eo.

Item: Sicut misit me pater viuens,
& ego viuo per patrem, & qui mandu-
cat carnem meam, et ipse viuet per me:
viuit ergo per Patrem, et quomodo per
patrem viuit, eodem modo & nos per
carnem eius viuemus.

Item: Hæc vitæ nostræ causa est,
quòd in nobis carnalibus manentem
per carnem Christum habemus, victuri
per eum ea conditione, qua viuit ille
per patrem.

Si

30 SENTENTIA HILARII.

Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam suam carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se partem habeat, cum vivat ipse per patrem?

Item: Hæc autem iccirco commemorata sunt à nobis, quia voluntatis tantum inter patrem & filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad DEVM utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium & per filium ad patrem obsequio tantum & voluntate religionis unitis, nulla per Sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum & per honorem nobis datum DEI filij, & permanentem in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.

CYPRIANVS AD

Cæcilium,

QVæ

SENTENTIA CYPRIANI. 31



VÆrendum est enim ipsi, quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandauit.

CYPRIANVS IN SERMONE DE COENA DOMINI.

Si tamen non fallit titulus, sed cuiuscunq; est authoris opus, apparet non esse recens scriptum.



DANis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia, ut esset religio- ni circa Sacramenta deuotio, & ad veris- tatem, cuius corpus Sacramenta sunt,

C

since

23 SENTENTIA IRENAEI

sincerior pateret accessus, vsque ad participationem Spiritus.

IRENÆVS LIB. V. CON-
TRA VALENTI-
num.

VAni autem omni modo, qui vniuersam dispositionem DEI contemnant, & carnis salutem negant, & regenerationem eius sperant, dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundū hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiae communicatio sanguinis eius est, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis eius est. Sanguis enim non est, nisi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundum hominem substantia, qua verè factum Verbum DEI, sanguine suo redemit nos. Quemadmodum & Apostolus eius ait: In quo habemus redemptionem in sanguine eius, & remissionem peccatorum.

rum.

rum. Et quoniam membra eius sumus, & per creaturam nutrimur: Creaturam autem ipse nobis præstat, solem suum oriri faciens, & pluens, quemadmodum vult, eum calicem, qui est creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora, Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum DEI, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant capacem esse donationis DEI, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur?

Ad hunc modum, & alio loco Irenæus ratiocinatur, non posse carnem prorsus perire, quia corpore Christi nutritur, lib. 4. contra Valentinum.

Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & Sanguine Domini alitur?

C 2

Et

34 SENTENTIA IRENAE I.

Et paulò post: Quemadmodum enim, qui est à terra panis percipiens vocatio- nem DEI, iam non communis panis est, sed Eucharistia, & ex duabus rebus consistens, terrena & cœlesti, Sic et corpora nostra percipientia Eucharistia- am, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia, &c.

Extant inter Ambrosij libros, duo libelli, quorum alter titulum habet, de mysterijs initiandis, alter, de Sacramen- tis. In his palàm affirmatur, quòd non tantùm significet panis corpus Domini, sed re ipsa corpus Christi detur in cœna. Ego hos libellos video non admodum dissimiles esse aliorum Ambrosij scri- ptorum. Et in posteriori citatur græca figura τὴν ἐπιούσῃαν ἡ εὐχάρυστην, more Ambros- ij. Sed ut non sint Ambrosij, sunt enim sic satis confusè scripti, apparet tamen circiter illa tempora natos esse, recense- tur enim vetus mos, qui solitus est ob- seruari in baptizandis his, qui iam gran- des natu recipiebant Euangelium. Et tantùm duorum Sacramentorum men- tio

tio fit, Baptismi, & coenae Domini, ibi
 sic legitur: Fortè dicas. Aliud video,
 quomodo tu mihi asseris, quòd Christi
 corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc
 superest, vt probemus, Quantis igitur
 vtemur exemplis? Vt probemus non
 hoc esse, quod natura formauit, sed
 quod benedictio consecrauit, maiorem
 què vim esse benedictionis, quam na-
 turæ, quia benedictione etiam natura
 ipsa mutatur. Virgam tenebat Mo-
 yses, proiecit eam, & facta est serpens,
 Rursus apprehendit caudam serpentis
 & in virgæ naturam reuertitur. Vides
 igitur Prophetica giatia bis mutatam
 esse naturam, & serpentis, & virgæ.
 Currebant Ægypti flumina puro aqua-
 rum meatu, subitò de fontium venis
 sanguis cœpit erumpere. Non erat po-
 tus in fluuijs, rursus ad Prophetæ pre-
 ces cruor cessauit, fluminum, aquarum
 natura remeauit. Circumclusus vndiq;
 erat populus Ebræorum, hinc Ægyptis
 vallatus, inde mari clausus, virgam le-
 uauit Moyse, separauit se aqua, & in

36 SENTENTIA IRENAEI.

murorum speciem congelauit, atque
 inter undas via pedestris apparuit. Ior-
 danis retrorsum conuersus, contra na-
 turam in sui fontis reuertitur exordia-
 um. Nōne claret naturam vel marino-
 rum fluctuum, vel fluuialis cursus esse
 mutatam? Sitiebat populus patrum, te-
 rigit Moyses petram, & aqua de petra
 fluxit. Nunquid non præter naturam
 operata est gratia, vt aquam vomeret
 petra, quam non habet natura? Marath
 fluuius amarissimus erat, vt sitiens po-
 pulus bibere non posset, misit Moyses
 lignum in aquam, & amaritudinem su-
 am aquarum natura deposuit, quam in-
 fusa subitō gratia temperauit. Sub Eli-
 sæo Propheta vni ex filijs Prophetarū
 excussum est ferrum de securi, & sta-
 timmersum est, rogauit Elisæum, qui
 amiserat ferrum, misit etiam Elisæus liga-
 num, in aquam, & ferrum natauit, vt
 tique & hoc præter naturam factum es-
 se cognoscimus. Grauior est enim
 ferri, species, quàm aquarum liquor.
 Aduertimus igitur maioris esse virtus
 tis

tis gratiam, quàm naturam. Et adhuc tantum Propheticae benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Eliae, vt ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti. Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non post ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant?

Hæc tam longa recitatio exemplorum clarè ostendit, authorem sensisse, panem non esse tantum signum, sed naturam panis mutari.

Gratianus citauit locum ex Augustino, qui malè detortus ad cœnam Dominicam multos offendit.

C 4

Qua

Quare ne quis imprudens falleretur, duxi eum ascribendum ac reponendum esse. Prius recitabo totum caput, ut extat in libro Decretorum.

Prima quidem hæresis in discipulis Christi, velut à duritia eius sermonis facta est. Cum enim diceret, nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam. Illi verò non intelligentes dixerunt ad inuicem, Durus est hic sermo. Quis eum potest manducare? Dicentes, durus est hic sermo, separauerunt se ab illo, & remansit cum duodecim discipulis, discedentibus illis, instruxit eos, qui remanserunt. Spiritus est, inquit qui viuificat, Caro nihil prodest. Verba quæ locutus sum ad vos, Spiritus & vita sunt. Intellexistis spiritualiter, Spiritus & vita sunt. Intellexistis carnaliter, etiam sic illa Spiritus & vita sunt, Sed tibi non sunt Spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis, spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus,

corpus, quod videtis, manducaturi es-
 stis, & bibituri illum sanguinem, quem
 effusuri sunt, qui me crucefigent, Sacra-
 mentum aliquod vobis commendavi,
 spiritualiter intellectum viuificat vos.
 Caro autem non prodest quicquam.
 Sed quomodo illi intellexerunt, sic re-
 sponderunt, Carnem quippe sic intellex-
 erunt, sicut in macello venditur, aut in
 cadauere dilaniatur. Sciens autem Iesus,
 ait, hoc vos scandalizat, quia dixi, do-
 vobis carnem meam manducare, & san-
 guinem meum bibere. Si ergo videritis
 filium hominis ascendentem, vbi prius
 erat, Quid est hoc? Hic soluit, quod il-
 los mouerat, hinc apparebit, vnde fu-
 erant scandalizati, hic planè intelligent.
 Illi autem putabant, erogaturum corpus
 suum, Ille dixit, se ascensurum in coelum
 vtique integrum. Cum videritis fi-
 lium hominis ascendentem vbi erat pri-
 us, certè vel tunc videtis, quia non eo-
 modo, quo putatis, erogat corpus su-
 um, vel tunc intelligetis, quia gratia eius
 non consumitur morsibus. Item, donec

saeculum finiatur, Dominus sursum est sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim, in quo resurrexit, in vno loco esse oportet, veritas autem eius vbique diffusa est.

Hactenus recensui totum caput, eo ordine, quo apud Gratianum extat. *Est autem ex varijs locis consutum, quorum aliqui intempestive detorquentur ad Coenam Dominicam.* Nemo ignorat, quantum referat, quo loco, qua occasione aliquid dicatur, ac multo aliter dici, cum obiter ad aliquam rem alludimus, quam vbi tota de re instituitur integra oratio. Quare & nos expendere conuenit, quo in loco, quo consilio haec sententiae ab Augustino dicantur, quod cum fiet, intelligem eas non refragari receptae sententiae de coena Domini. Ac iure desiderari diligentia potest in his, qui tot saeculis docuerunt Ecclesias, & infinitas disputationes de coena Domini relinquerunt.

runt, neque tamen dederunt operam, ut huiusmodi locos, qui poterant lectorem non stultum offendere, vel patefacerent, vel refutarent. Ego Gratianum existimo privati vsus causa hoc centones collegisse, qui postea, quia pontifices non curauerunt, ut haberet Ecclesia aliquam summam, vel dogmatum, vel ordinationum Ecclesiasticarum, ab omnibus auidè recepti sunt. Nusquam enim alibi extabat vllius Synodi memoria, nusquam ordinationes Ecclesiasticæ perinde in vnum acervum collectæ reperiabantur. Porro nemo non cupiebat veteris Ecclesiæ acta & decreta cognoscere. Sed apparet istum bonum virum, dum omnia conuertit, quædam parum conuenientia interdum contexere. Certè hoc caput ex dissimilibus locis coaceruatum est.

Nam initiò versus aliquot sunt sūptè ex enarratione Psalmi quinquagesimi quarti, vbi hæc extant verba: Prima hæresis in discipulis Christi velut ad duriti sermonis ipsius facta est. Cùm, n. diceret: Nisi quis manducauerit carnem meam,

& biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se, illi non intelligentes dixerunt ad inuicem: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? dicentes, quia durus est sermo hic, separauerunt se ab illo. Et remansit cum alijs duodecim. Tantum sumpsit ex enarratione Psalmi. 54. Cætera, quæ sequuntur, usque ad postremam periodum mutatus est, partim ex enarratione Psal. 98. partim ex commeniario in sextum capitulum Ioannis, ubi Augustinus de fructu Sacramenti, seu de manducatione spiritali, multa dicit, quæ nos non inuiti amplectimur. Atqui hæc non impediunt manducationem ceremoniam. Nam ut usus Sacramenti cognoscendus est, ita etiam ritus à Christo institutus retineri debet, sicut verbum oportet retinere. Paulus enim inquit, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, hoc est, fidem & spiritum sanctum concipi per Euangelium, per verbum & per Sacramenta. Neque enim sunt instituta sacramenta tantum, ut
 sine

sint professionis nostræ signa coram hominibus, sicut toga signum Romani ciuis erat, sed sunt tradita, vt per ea coram DEO erigantur corda nostra, & fidem concipiant, Adest DEVS & impellit ac mouet corda per hæc, quæ auribus atque oculis percipimus, Itaque quæ de manducatione alicubi spiritali dicuntur, non impediunt ceremoniam, Nec ideò abroganda est Christi institutio, quia sine Spiritu sancto inutilis est, sed illud magis considerandum est, nec Spiritum sanctum contingere, nisi cum verbo ac Sacramentis corda concipiunt consolationem.

Sed postrema periodus magis offendit, quam tamen, cum viderimus unde sumpta sit, intelligemus nihil ad hanc rem facere. Est autem sumpta ex commentario in septimum Cap. Ioannis, ex initio tricesimi tractatus. Et vt intelligi possit, nullam ibi mentionem cœnæ fieri, integra sententia ponenda est, Sic inquit Augustinus:

Euari

44 SENTENTIA IRENAEI

Euangelij sancti lectionem, de qua
 pridem charitati vestrae locuti sumus,
 ista, quae modo lecta est, hodierna con-
 sequitur. Dominum loquentem audie-
 bant, & discipuli & Iudaei, veritatem
 loquentem audiebant, & veraces &
 mendaces, charitatem loquentem au-
 diebant amici & inimici, bonum loquentem
 audiebant et boni & mali. Illi audiebant
 sed ille discernebat. Et quibus sermo
 prodesset, & profuturus esset, videbat
 & praevidebat. Nos itaque sic audiamus
 Euangelium quasi praesentem Dominum
 nec dicamus, O illi felices, qui eum vi-
 dere potuerunt, quia multi in eis qui
 viderunt & occiderunt. Multi autem in
 nobis, qui non viderunt, & crediderunt.
 Quod enim preciosum sonabat de ore
 Domini, & propter nos scriptum est,
 & nobis seruatum est, & propter nos
 recitatur, & propter posteros recitabi-
 tur, & donec seculum finiatur, sursum
 est Dominus, sed etiam hic est veritas
 Domini. Corpus enim Domini, in quo
 resurrexit, in vno loco esse oportet, ve-
 ritas

rit
 erg
 rit
 V
 D
 qu
 Sec
 run
 ctio
 ali
 qu
 exc
 u
 Sea
 disc
 ius
 dum
 mal
 co
 pro
 Au
 suo
 par

veritas eius ubique diffusa est. Dominum
 ergo audiamus, & quod ipse donauerit,
 de verbis eius & nos dicamus, &c.
*Vulgati codices habent, hic est veritas
 Dominus, Corpus enim Domini, in
 quo resurrexit, vno loco esse potest.*
 Sed homines non omninò rudes litera-
 rum, facile iudicare possunt, hanc le-
 ctionem mendosam esse. Planè habet
 aliquam sedulitatis laudem Gratianus,
 quòd non grauatus est tot auctores
 excutere, & hunc sententiarum acer-
 uum vndiq; ex tam varijs locis cõgèrere,
*Sed cum in hoc negotio conscientiae in-
 discrimen vocentur, non est tutum hu-
 iusmodi excerptis fidem habere. Inter-
 dum sententiae sunt mutilatae, interdum
 malè detorta. Idem enim alio dictum lo-
 co non semper idem valet. Neq; opus est
 procul exempla quærerere, vel hæc una
 Augustini sententia ostendit, quantum
 suo posita loco distet ab intellectu, quem
 parit in alio loco.*

Palàm est Augustinum hic profus nullam mentionem coenae Domini facere, iubet audire Christum in Evangelio loquentem, quia ipse coràm nūc non doceat homines. Loquitur igitur de conuersatione visibili, qualem oportet esse docentis. Hanc negat competere Christo passim inter homines, quia oportet vno in loco, videlicet in Coelis, perpetuam eius esse conuersationem.

Ne verbum quidem hīc de Coena Domini dicitur. *Tantum negat conuersationem visibilem, qualis est docentis, competere Christo passim.* Hoc mihi quidem non videtur aptè ad coenam Domini detorqueri. Ac si quis est, cui hic locus persuadet, Augustinum sensisse, quòd corpus Christi non sit in coena, is meo iudicio, utitur coniectura leuiore, quàm res tanta postulat. Ego quidem nouū dogma in Ecclesia secutus hanc coniecturam profiteri non velim. Tota oratio de perpetua conuersatione

uersione loquitur, ex qua si vnum verum
 sum transtulerimus ad alios praesentiae
 modos, quomodo sciemus, Augustinum
 voluisse hunc de alia re intelligi,
 quam de qua in praesentia loquebatur.
 Vulgo aiunt, verba secundum subiectam
 materiam accipienda esse, quod si hic
 facimus, facile poterit intelligi, hunc
 locum non patrocinari his, qui negant
 corpus Domini adesse in coena.

Non ignoro multa passim dicta
 occurrere in scriptoribus, quae suspicax
 ingenium varie afficere queant. Nam
 alias aliter loquuntur, cum in alio argu-
 mento obiter hanc rem attingunt.
*Sed non est iudicanda coniecturis haec
 causa, certa & clara testimonia profe-
 renda sunt, ex quibus veteris Ecclesiae
 sententiam colligamus.* Si in religione
 valebunt coniecturae, omnia poterunt
 lebefactari. Haec eo dico, vt lector
 expendat, quomodo in hoc loco aliud
 Augustinus dicat, aliud per coniecturam
 ratiocinentur isti, qui eum ad coenam
 D Domini

Domini transferunt . Cùm autem Augustinus hïc nullam mentionem cœnæ Domini fecerit, non est causa , cur hic locus offendat quenquam.

Nullam hïc disputationem institui, neminem decreui lædere, nec quicquã dixi ad vllius contumeliam. Tantùm hunc locum Augustini patefacere volui, de quo sæpè interrogatus sum, Neque quisquam ægrè ferre debet, quod in re tanta iudicavi, *non temere fidem habendã esse vulgò citatis testimonijs, sed considerandum esse, quo loco, quo consilio dicta sint.* Hæc cura mea nõ est reprehendenda, in his qui veritatẽ quaerunt. *Nã si in foro arbitratur inciuile esse, non inspecta tota lege pronuntiare, multò magis in controuersijs religionis decet nos integra testimonia requirere,*

Neque verò quisquam mihi persuaserit, Augustinum hoc loco sic alligare corpus Christi ad vnum locum, vt nusquam alibi esse posse confirmet: præsertim

Tertium autem Scriptura nunquam affirmet
 Christum ita vno in loco esse, ut alibi esse
 non possit. *Quid enim afferri potest,
 præter humanæ rationis iudicium, cur
 hoc loco includamus Christum in vnum
 locum? Quod si satis esse putassent veteres,
 nunquam extitissent vllæ contro-
 uersia de præsentia corporis Domini
 in cœna. Quis enim non vidit absurda,
 quæ consequerentur, sed omnes ita senserunt,
 iudicium rationis debere Scripturæ
 cedere.* Et idem author Iohannis 6. de
 Christo inquit, filium hominis, tametsi
 versaretur in terra, tamen in vnitatem
 personæ in Cœlo fuisse, verba eius hæc
 sunt: Christus ergo vnus est Verbum,
 anima & caro. Vnus Christus filius
 DEI et filius hominis, vnus Christus fi-
 lius DEI semper, filius hominis ex tem-
 pore. Tamen vnus Christus secundum vni-
 nitatem personæ in cælo erat, quando
 in terra loquebatur, sic erat filius
 hominis quemadmodum filius DEI
 erat in terra, Filius DEI in terra in-
 suscepta

50 SENTENTIA IRENÆI.

suscepta carne. Filius hominis in cœlo
in vnitate personæ.

Ego igitur moneo lectorem, pri-
mùm vt meminerit non posse de cœna
Domini ex hoc Augustini loco iudicari,
cùm eius rei nulla ibi fiat mentio. Quo-
quo modo authoritas huius loci defen-
datur, tamen non debet plus valere,
*Quàm alia clara & aperta testimonia
Hilarij, aut Cyrilli, quæ manifestè af-
firmant corpus Christi adesse in cœna.*
Neque ego vllam satis firmam ratio-
nem inuenio, cur ab hac sententia disce-
damus. Fieri potest, vt alia sententia
blandiatur otioso animo, quæ est magis
consentaneo humano iudicio, præfer-
tim sic instructa & ornata argumentis,
eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tenta-
tione, cùm disputabit conscientia, quàm
habuerit causam dissentiendi à recepta
sententia in Ecclesia? Tunc ista ver-
ba, *Hoc est corpus meum, fulmina-
erunt.*

SENTENTIA IRENAEI, 51

erunt. Quid his opponet mens per terre-
facta? Quibus scripturis, qua voce
DE Immunitate se, ac sibi persuadebit ne-
cessario fuisse hic interpretandam me-
taphoram? Non satis periti videntur ho-
rum certaminum isti, qui tam facile se-
runt noua dogmata, qui sic delectantur
ingenio, vt magis admirentur vafre cogi-
tatas rationes, quã verba Scripturæ.
Ego scio quàm leuiter in tentatione
excutiantur nobis è manibus, rationes
illæ dissentientes à Scriptura, quan-
tumuis antea visæ plausibiles.
Et accedit hoc in ista cõtrouersia magis,
quàm in alijs, quæ vniuersæ Ecclesiæ,
ac toti imperio minatur horribilem mu-
tationem. Tanti scandali sustinere con-
scientiam sine claro & certo testimonio
Scripturæ, quis possit? Ego itaque se-
quor veteris Ecclesiæ sententiam, quæ
affirmat adesse corpus Christi in cœna,
ac iudico hanc habere Scripturæ testi-

monium, Non enim inuenio firmam
rationem, cur nomine corporis in ver-
bis cœnæ oporteat tantum absentis cor-
poris signum intelligi.

Quamquam enim sermo in sacris
litteris plenus sit figurarum omnis gene-
ris, tamen plurimum inter narrationes
rerum gestarum interest, & inter ordi-
nationes diuinas, seu dogmata de natu-
ra, seu voluntate DEI. In narrationibus
exponuntur res inter homines gestæ,
vbi series factorum subiecta sensui, cog-
git nos absurdè dicta figuratè interpre-
tari. Si in præceptis seu dogmatibus,
quæ de natura & voluntate DEI lo-
quuntur, idem conemur facere, quid
consecuturum sit, facilè possunt homi-
nes eruditi existimare. Hic cum ab-
surditas impingit in alios clariores lo-
cos Scripturæ, seu fidei articulos, corri-
genda est beneficio figurarum, sed si
tantum in rationem impingat, non in
Scripturas, conuenit, præferre verbum
DEI

SENTENTIA IRENAEI 53

DE Iudicio rationis. Necesse est enim certam esse sententiam illorum locorū, vnde dogmata seu articuli sumuntur. Quòd si nobis licet hos quoquomodo interpretari, deprauari poterūt ōnia. Fuerunt olim astuti homines, qui hac ratione totam doctrinam Christianam transformarunt in Philosophiam. Hi iudicabunt Christianos, homines illiteratos, quia parum astutē intelligerent ea, quæ figuratē & tectē dicta essent, multa absurda dogmata sine causa amplexos esse. Possem exempla recitare, sed habenda est ratio infirmi lectoris, facile .n. perturbantur imperitorum mentes. An nemo fuit nostris temporibus, qui significauit huiusmodi callida interpretatione pleraq; dogmata mitigari posse?

Abrahæ mandatum est, vt circumcideret præputium. Quis non irrisit inter Ethnicos? *Neg; tamen licuit illi, cū institueretur ritus, aliud suspicari, quā quod verba sonant.* Homo astutus poterat disputare, rem tuam ridiculam nullo modo præcipi á D E O,

D 4

sed

sed significari, libidines esse coercendas & frenandas. Hoc sum usus exemplo, cum alia multa reperiantur magis illustria, sed non velim sciens perturbare imbecilles animos. Nullus autem locus Scripturæ proferri potest, qui testetur Christum non esse in cœna, qui cogat interpretari verba cœnæ allegoricè. Nec usus Ecclesiæ veteris cogit ea interpretari allegoricè. Tantum repugnat verbis absurditas, quæ impingit in iudicium rationis, Hæc non est satis magna causa, cur à verbis discedamus. Si hoc genere absurditatis patiemur nos abstrahi à Scripturis, nihil habebimus præsidij in vlla tentatione. In afflictionibus iubemur petere, sperare, & expectare auxilium à DEO. Non cernitur præsentia DEI, si quid promisit boni, videtur alijs promisisse, videtur enim irasci nobis propter peccata. Hic maxima rationi dissensio est, cum promissionibus.

Quàm

SENTENTIA IRENAEI. 55

Quàm difficulter persuaderi potest
 rationi, quòd DEO simus curæ, quòd
 afficiatur nostris malis. Hoc verò
 multo etiã difficiliùs persuadetur,
 quòd propter Christum gratis, sine nos-
 tris meritis in gratiam recipiamur, ex-
 audiamur, defendamur & adiuuemur.
 Itaque si hic vincent absurda, quæ sic
 ratione videntur, si pluris fient quàm
 verbum DEI, nullam consolationem
 in afflictionibus habebimus, Nec pau-
 ciora absurda in tali certamine incurrunt
 in oculos, quàm in quæstione de cœna
 Domini, sed hæc non mouent otio-
 sos animos. Illæ Geometricæ & Phys-
 sicæ speculationes magnum tumultum
 excitant in animo vacuo, & qui consue-
 uit rationes quærere de doctrina religi-
 onis. Et id facimus omnes paulum
 modo studiosi, sed recurrendum est ad
 Scripturas, vbi cùm non inueniam te-
 stimonium, quod corpus Christi neget
 adesse in cœna, aut interpretetur verba
 cœnæ aliter, quàm sonant verba, non

D 5

habeo

56 SENTENTIA IRENAEI

habeo rationem satis firmam nouæ sententiae docendæ, præsertim quæ tanta scandala excitat, quæ ego nescio non posse præferri, nisi habeamus firma & certa Scripturæ testimonia.

Me verò etiam alia multa in Scripturis mouent de Christo dicta, vt verè eum adesse posse Sacramento sentiam. Nec video causam, cur non ibi verè adesse possit, vbi verè aliquid efficit. Constat autem Sacramenta ad hoc instituta esse, vt per ea DEVS moueat & exuscitet mentes ad credendum. Non enim sunt instituta, vt tantùm sint notæ ac signa professionis, quæ discernant nos ab alijs gentibus, vt toga Romanos discernerebat à Græcis, aut varietas vestitus discernit Monachos. Neq; parum refert, in hac controuersia verum vsum Sacramentorum tenere, de quo magis proderat Ecclesijs fideliter docere, quàm de Geometricis speculationibus, quæ tantùm reddunt mentes

pro

SENTENTIA IRENAE E 57

prophanas, non alunt fidem aut timorem DEI. Sed facio finem, non enim institui disputationem, sed dum Augustini locum repono, hæc dicenda fuerunt, vt clarè appareret, illam sententiam ad hanc controuersiam nihil pertinere.

Cùm aliquot pagellæ vacarent, adiecimus etiam alia loca veterum, quibus præsentia Christi in cœna Dominica affirmatur.

CHRY

58 SENTENTIA CHRYSOSTOMI.
CHRYSOSTOMVS
IN CAP. XIII, MAT-
thæi, Homilia
LI.

Tangamus ergo etiam nos fim-
briam vestimenti eius, imò ve-
rè totum. Ipsum enim si vos
lumus, non vestis solum, sed corpus
ipsius nobis propositum est, non vt
tangamus solummodo, sed vt comedas-
mus & saturemur. Adeamus igitur
Christum singuli ægrotantes magna
cum fide. Nam si qui fimbriam vestis-
menti eius tunc tetigerunt, rectè omnes
conuauerunt: quantò magis corrobora-
rabimur, si totum in nobis habebimus?
Cum fide autem accedere non est, vt
tantummodo propositum corpus recis-
pias, verum etiam multò magis, vt mun-
do corde tangas, vt sic adeas, quemads-
modum ad ipsum Christum. Quid
enim si vocem eius non audis? Nonne
vides iacentem, imò verè & loquentem
per Euangelistam ipsum audis? Creditur
igitur,

igitur omnes, quia etiam verè illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbens bebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc, non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli sacerdotis, sed Christi manus ad te porrigi arbitrari, &c.

VERBA AMBROSII
 OBIVRGANTIS THEODO-
 dosium Imperatorem, & ar-
 centis illum à communis-
 one.

THEODORETUS LIB.
 V, CAP. XVIII.

Stasne adhuc stillantes in-
 iustæ cædis cruore manus
 extends, & n̄s sanctissimū
 Domini corpus prehendes
 vel tum præciosum illum sanguinem
 admouebis ori tuo, qui tantum effudes
 ris

ris, sanguinis dictato furentis animi
 Quapropter discede, neque velis peio-
 rem iniquitatem hac alia iniquitate
 augere.

IUSTINVS IN SECVNDA
 APOLOGIA PRO
 Christianis.



Non enim vt vulgarem
 panem & vulgare po-
 culum hæc sumimus:
 sed quemadmodũ per
 verbum D E I caro
 factus I E S V S CHRI
 STVS seruator noster carnem &
 sanguinem pro salute habuit, sic etiam
 per verbum præcationis & gratiarum
 actionis, sacratam ab ipso alimoniam,
 quæ mutata nutrit nostras carnes &
 sanguinem, illius incarnati I E S V
 carnem

SENTENTIA IVSTINI. 61

carnem & sanguinem esse didicimus.
Nam Apostoli in suis scriptis, quæ vo-
cantur Euangelia, sic sibi mandasse
IESVM tradiderunt: sumpto pane
actisque gratijs dixisse: Hoc facite in
mei memoriam, hoc est corpus
meum, similiter sumpto poculo,
actisque gratijs dixisse:
Hic est sanguis
meus &c.

AVGVSTINVS CON-
TRA FVLGENTIVM
DONATI-
stam.

Sicut enim, qui manducat
& bibit sanguinem Domi-
ni indignè, iudicium sibi
manducat, & bibit: sic & qui
accipit indignè baptisma, iudicium
accipit, non Salutem. Nam &
Iudas proditor bonum corpus,
&

62 SENTEN: AVGVSTINI

& Simon Magus bonum baptisma Christi percepit, sed quia bono bene non vsi sunt, mali male vtendo deleti sunt. Bonum est Baptisma, Bonum est Christi sanguis & corpus, bona est lex, sed si quis ea legitimè vtatur. Quibusdam enim est odor mortis in mortem, quibusdam verò odor vitæ in vitam.

I D E M.

Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, locum in se Diabolo præbuit, sic indignè quisquis sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt, quia ipse malus est, malum fit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat indignè, iudicium sibi manducat.

EPL

EPISTOLA

D. PHILIPPI MEL-
LANCHTHONIS, ET
IOHANNIS BRENTII:

scripta ad illustrissimum Princi-
pem PHILIPPUM Landgra-
uium Hassiæ, Anno

M.D.XXX.



Illustrissime princeps, Do-
mine clementissime, Scri-
ptum, de ineunda cum
Cinglianis societate siue
fraternitate, nobis reddi-
tum, studiosè, diligenterq; legimus:
& C. V. humilimè oramus, vt nostrum
responsum clementer accipiat. Possu-
mus enim D E V M vocare testem,
nos nullius hominis, nec studio, nec
odio in hoc negotio elaborare: imò
dissensiones illæ ex animo nos pertura-
bant, ita vt nobis in hac vita, nihil ad
acerbissimi doloris sensum grauius
E pos

posset accedere quàm hoc ipsum: Vis
demus enim multos fingendis opinio-
nibus ludere, ex quibus postea in Ec-
clesia, & animorum distractiones, &
perturbationes conscientiarum maio-
res exoriuntur, per quas etiam, sub,
inde ad alios errores, maiori cum pe-
riculo coniunctos, homines delabun-
tur: cuius rei iam multa exempla ex-
tant. Quidam enim, qui initiò duntaxat
de cœna, allegorias in medium attule-
rant, iam easdem in alijs articulis quæ-
runt, nempe Campanus, Martinus Cel-
larius, Caroloftadius, Felinus: & in hoc
omni animi contentione elaborant, ut
per factiones & vim, si aliter non pos-
sint, erroribus suis patrocinentur. Qui
conatus non solum cruenta bella, sed
distractiones in Ecclesia, & dissipatio-
nes Imperiorum, aliquot seculis, imò
ad finem vsque mundi non instauran-
das minantur. **DEVM** immortalem,
quàm triste spectaculum est, horrenda
ista, vel tacitis duntaxat cogitationib,
persequi. Persuadeat ergò C. V. sibi de
nobis

nobis, nos ita non his rebus delectari, ut seriò etiam perturbemur, nec de quo fortassè suspecti quibusdam esse possuimus) captandæ laudis gloriæq; causa lites contentionesq; mouere. Atque ideo etiam humiliter C. V. oramus, ut responsum nostrum clementer audiat. Breuitati enim studuimus, ne C. V. detineremus longiùs. Deinde etiam, quòd non iudicaremus operæ precium nos facturos, si ad singula capita scripti nobis propositi responderemus.

Initiò autem quòd ad fraternitatem attinet, fortassis fratres, qui alio quo errore impliciti sunt, tollerari possunt, ut et ipse seruator Christus discipulos errantes ferebat. Atqui doctrinas prodigiosas non modo introducunt in Ecclesiam, sed etiam defendunt, pro fratribus agnoscendi non sunt, nullo enim modo impijs & incertis dogmatibus assentiendum est. Quare quæ in eo scripto, quod nobis redditum est, de tollerandis infirmis prolixè agitan-

E 2

tur,

eur, de ijs demum intelligenda sunt, qui incerta dogmata non conantur defendere. Etenim D. quidem Paulus Galatas in fraternitatem suscepit: de ijs autem qui errores defendebant, dixit: Utinam & abscindantur, qui vos labefactant. Hæc nostra est de hac re simplex sententia, quam etiam speramus nos DEO approbaturus. Quomodo enim coniungere cum aduersarijs fraternam amicitiam possumus, & consentire, vt errores suos pro vera & pia doctrina propugnent, cum & conscientia vulnera statim sensuri, nec medicinam ex ipsorum scriptis (quæ illi satisfaciat) inuenturi simus. Bono forsitan animo candidoque autor huius scripti disputationem istam instituit: sed nimis frigidè de Theologicis rebus loqui videtur, quia & errorem articulis fidei Scripturæ testimonijs suffulcis, approbat & certitudinem de ijsdem in Ecclesia nō putat esse necessariam. At quando conscientia inter certū & incertum fluctuant, in iudicio DEI seueriori

feueriori illo consistere nequeunt. D.
 enim Paulus dicit: Quicquid non sit
 ex fide, peccatum esse. Magna ergo
 cura diligentique rerum sacrarum expe-
 rientia opus est, ut fides in feuerissimo
 illo iudicio firma immotaque possit con-
 sistere. Et propterea articuli de Sacra-
 mentis, quibus quotidie utimur, ne-
 quaquam contemnendi aut aspernan-
 di sunt. Sed facile coniecturam facere
 possumus, unde noua hæc Theologia
 proficiscatur, quæ parum referre exi-
 stimat, quicquid tandem in Ecclesia do-
 ceatur: ac DEO satisfactum esse iudica-
 cat, si primum quidem otio paci-
 deamus, deinde vitam virtutibus poli-
 ticiis utcumque exornemus. Sed si ea per-
 fecta & absoluta ad bene beateque viuen-
 dum ratio est, multi Philosophi Ethnici
 in numerum Christianorum erunt re-
 ferendi. Quantum ad secundam partem
 propositi negotii attinet, de concilio
 instituendo si ijs rationibus cogeretur
 ab Imperatore, sicut scriptum est, pos-
 set pro concilio agnosci. At siue Conci-

liū instituatur, siue nō instituatur, certē
 nemo cogendus est, vt veræ & piæ do-
 ctrinae, quā profitemur, renūciet. Præte-
 rea diligenter cauendū est, ne nimia sub-
 tilitate, quæ tamen nihil habet certi,
 cursus doctrinae veræ & certissimæ im-
 pediatur, quod sanè iam etiam aliqua
 ex parte fieri experimur. Postremò
 C. V. obsecramus, ne in hoc magno et
 arduo negotio, de Cœna Dominica,
 patiatur se à verbis institutionis, ad ne-
 scio quas allegorias abduci. Nam in
 ordinationibus diuinis, proprietates ver-
 borum tenenda est. Et quidem si ratio-
 nes, quibus Cinglius mouetur, con-
 scientiis ita satisfacerent, vt in iudicio
 DEI niti possint, facilè nos allegori-
 as ipsius adprobaremus. Certum autem
 est, non posse acquiescere conscientias
 istis argumentis. Deinde manifestum
 est horribiliter eos peccare, qui incerta
 pro certis defendunt, & occasionem
 præbent, non modò schismatis, sed eti-
 am bellis. Oramus autem C. V. vt senten-
 tiam

tentiã pro tenuitate nostra, de his rebus
scriptam, clementer accipiat. Nam san-
ctissimè confirmare possumus, nos cõ-
pendij nostri causa, nihil horum susce-
pisse, sed orare DEVM Opt. MAX.
vt C. V. non modò liberam à falsis do-
gmatibus & erroribus feruet, sed in re-
liquis etiam periculis clementer tuea-
tur. Videmus enim Diabolum magna
& horribilia machinari consilia. Quare
cauendum est nobis, ne quid temerè
agamus. Hæc C. V. breuibus respon-
dere volumus, quòd si harum rerum
explicatio copiosior à C. V. requiretur
à nobis, agnoscimus hoc nos debere,
C. V. & quidem summo studio: ac pau-
lò fusiùs, quàm nunc fecimus, sumus
facturi. DEVS Opt. MAX. C. V.

clementer tueatur,

Amen.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind.

Handwritten blue ink markings, possibly initials or a signature, located at the bottom left of the page.



g 35 38

(K 2206647)

n.c.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



SENTENTIAE
CTORVM
VM, DE COENA
ini, bona fide recitatae
editae VVittebergæ,

A
PO MELANCHTHONE
ANNO M. D. XXX.

BVS ADDITA
cola PHILIPPI ME-
ANCHTHONIS,

&
NNIS BRENTII
eodem anno scripta.



8 7.

VVITEBERGAE
eus VVelack excudebat.

